

amico tuo, Gothingam mittere velis, atque simul oro te, ut ipsi me commendare non graveris eo fine, ut dissertationes medicas tum ab ipso, tum aliis autoribus editas, mecum communicare velit.

Cum me monuisti, pro tua benignitate, ut scriberem ad *Ill. Societatem Regiam Scient. Stockholmiensem*, scripsi sedulo; ast responsorias nullas accipio : quocirca oro te, amice illustrissime, ut de illo voto meo nullum amplius verbum facias; maximè cum me, nequidem cogitantem, sed tamen hujus honoris memorem, in *Societ. Reg. Londinensem* cooptari curaverit amicus, qui nuper Londinum iter fecerat, D. Jalabert \*, professor matheseos Genevensis. Hoc èd gratius mihi fuit quòd, cum adhuc favorem Aulæ et Cancellarii Franciæ ambiam (ut stipendia cathedræ per obitum Fitz-Geraldi vacuæ, atque disputationi traditæ obtineam), similibus titulis apud magnates fucum facere possim, et quod ex meritis deest, diplomatibus illis supplere.

Nullum verbum Anton. Magnolio feci de perhonorificâ cooptatione quam ipsi offers, tum quia prorsus ignorat has plantas, quas mitto, tibi destinatas esse, nec enim ea illius fuit unquam senten-

---

\* JALLABERT (J.), physicien, mathématicien et philosophe; Genève, 1712-1768. Il fit de nombreuses expériences sur l'électricité.